SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

Werk

Titel: Annalen der Wetterauischen Gesellschaft für die Gesammte Naturkunde zu Hanau
Verlag: Wilmans
Jahr: 1809
Kollektion: Zoologica
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN624810615_0002
PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN624810615_0002

LOG Id: LOG_0012
LOG Titel: II. Novae Lichenum species
LOG Typ: article

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN624810615
PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN624810615
OPAC: http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=624810615

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

II.

Novae

Lichenum

species,

descriptae a C. H. PERSOON.

In generica *Lichenum* *) dispositione spermatophorarum partium praecipua quidem habenda est ratio, sed simul ad diversam subiculi s. thalli, tanquam receptaculi secundarii (nam in plerisque speciebus fructum calicis aut involucri adinstar ambit) naturam respici debet, ne diversae et facie nimis alienae specierum cohortes sub uno accumulentur genere. Huncce divisionis modum ipsa natura indicare voluisse videtur; etenim in nulla plantarum cryptogamicarum familia sese tam multiformem (et versicolorem) praestitit, quam in hac Lichenum parte. Et species secundum crustae et frondis substantiam et formam juxta se invicem positae, seriem prae se ferunt naturalem; cum e contrario earum nexus saepius turbatur, si fructus, simplicissima plerumque gaudens structura, ut sola generum constituendorum norma consideratur. Etiam illi botanici qui genera tantummodo secundum scutellas formari velint, haud dubitarunt, eorum nonnulla assumere, quae tantummodo sola crusta inter se differunt, ex. gr. genera *Opegrapha* et *Gyrophora*, quae ambo *lirellas* habent, nec non *Endocarpum* ac *Verrucaria* quae in fructuum partibus conveniunt.

Hinc characteres ab utraque parte s. toto individuo (uti in Entomologia Linnaeana hoc locum habet) desumti et combinati praeferendi videntur.

*) Hoc nomen, uti *Filix*, *Muscus*, ad designandam familiam plantarum integram adhiberi nunc debet.

Terminos technicos, jam dudum hac in familia usitatos et tam fructuum et propaginum, quam crustae diversas formas optime exprimentes, in descriptione sequentium specierum iterum adhibui.

---

1. *Variolaria caerulescens*, crusta suborbiculari crassiuscula sordide alba, sorediis grumosis caeruleo caesiis.

Habitat ad muros vetustos circa Parisios.

Crusta dimidiam unciam et ultra lata, rimosa et tuberculosa. *Soredia* subconfluentia.

2. *Variolaria exasperata*, crusta rugosa pallescente-albida, sorediis confertis papilliformibus subexcavatis.

Hab. ad Cortices Carpini Betuli.

Crusta late effusa, 3-4 uncias longa, 2-3 lata aequalis, nec zonis distincta. *Soredia* sparsa, parvula, Lichenem ad tactum asperum reddunt. In eorum cavitate particulas colore caesias observavi, quae forte scutellarum initia sunt.

3. *Urceolaria leproides*, crusta effusa laevi lactea, scutellis minutissimis totis immersis cinereo-nigricantibus.

Hab. ad cortices.

Primo intuitu Lepram *lacteam* refert, sed lente illustrata, scutellae observantur fere obsoletae. — Cum antecedente et specie sequente forte genus peculiare (*Micromium*) efficere posset, cum loco scutellarum perfectarum solummodo earum *discus* fructificans adest, et tali modo inter fungos genus *Stictis* a Peziza differt.

4. *Urceolaria variolarioides*, effusa albida, scutellis minutis caesis nigricantibus in sorediis prominentibus aggregatis.

Hab. ad cortices Pruni aut Cerasi.

Variolariam sistit, sed in ipsis sorediis tubercula nonnulla, numero 3-6, sub lente spectantur tuberculis verrucarum similes, subexcavata. Thelotrematis cujusdam obsoleta species non videtur.

5. *Urceolaria scabra*, suborbicularis, crusta crassa alba, scutellis obsoletis rugosis rimosis obscure fuscis.

Hab. in monte Cenisio. BALBIS.

Crusta ad dimidia ad unam unciam lata, satis crassa, passim subcaesia, rimoso-tessellata. Scutellae confertae, majusculae subapplanatae, margine distincto vix instructae, disco rugoso-rimoso, hinc scabro ab omnibus fere lichenibus facile differunt.

Schizoxylum. *Crusta* pulverulenta vel subnulla. *Urceoli* (ligno) subinmersi, *immarginati*, coriacei.

6. *Schizoxylum sepincola*, crusta tenuissima albicante, urceolis majusculis cinereo-nigricantibus. *Tab.* 10. *f.* 9.

Hab. ad ligna fabrefacta abietina, ad sepes destinata. Hanc speciem Argentorati, in societate viri optimi Prof. Hammer, inveni; etiam circa Parisios crescit.

Crusta transversalis, inaequalis, ligni superficiem, ubi occurrit, destruit et quasi absorbet, quod huic generi peculiare est.

Urceoli ex ligno prorumpunt, Pezizarum cupulis similes, quoad situm vagi, tandem margine subrugosi et quasi dentati evadunt et prominent.

Obs. Hoc genus, uti *Calicium*, inter fungos et Lichenes ambigit, cum his vero magis cognatum ob crustam et fructuum naturam coriaceam. Ad hoc quoque pertinere videntur quaedam verrucariae, ex. gr. V. *hyloica* Achar. et nonnullae aliae species, Sphaeriis similes, quae vero ulterius requirunt examen.

7. *Verrucaria lateritia*, terrestris, crusta pulverulenta lateritia, verrucis nigris prominulis.

Hab. pulchella haec species circa Parisios, in sylvula St. Cloud, ubi eam mense Novembri inveni.

Crusta laete lateritia, exsiccata parum depallens, satis crassa, suborbicularis, $\frac{1}{2}$-$\frac{3}{4}$ unc. lata. *Verrucae* ad dimidium super crustam prominent. Cum Verrucaria *lutescente*, (Sphaeria *epigaea* Syn. fung. p. XXVII.) loco natali convenit, sed ab hac crustae colore et verrucis prominentibus differt.

8. *Verrucaria laevigata*, crusta subnulla pallida, verrucis erumpentibus papillatis nigris.

Hab. ad cortices. *Verrucae* sparsae, ex epidermide erumpunt, hinc crusta propria destitutae; maturae vario modo hiant, multo minores sunt quam in V. *nitida*, nec pars corticis, ubi provenit

haec species; nitet et quasi pinguis est; ceterum una cum Verrucaria *nitida* et nonnullis aliis, ob peculiarem crescendi morem ac verrucis papillatis, genus proprium efficere posset, aut cum *Bathelio* Achar. conjungenda.

Patellaria. *Crusta* effigurata, leprosa. *Scutellae* marginatae super crustam demum elevatae, sessiles.

9. *Patellaria erythrocarpa*, crusta compacta repanda albicante, scutellis medio congestis planiusculis rufis.

Hab. ad lapides calcareos; prope Dijon. Plura hujus lichenis individua saepe confluunt et plagam latam efficiunt. *Scutellae* totae rubicundae, subinmersae.

10. *Patellaria rufa*, crusta partita subglebulosa indeterminata lutescente, scutellis rufis demum convexis subflexuosis: intermixtis junioribus concavis.

Hab. ad saxa arenaria prope Fontainebleau. *Scutellae*, quae concavae sunt, marginem habent subcrenulatum, introflexum, a crusta uti videtur formatum; seniles ad colorem fusco-olivaceum tendunt, sed non nigricant.

11. *Patellaria nitens*, crusta pulverulenta badia, scutellis confertis plano-convexis nitidis, disco badio, margine integro subtusque albido.

In eodem cum antecedente provenit loco. Affinis videtur Licheni *badio*, sed ab hoc tamen ut species distingui meretur.

12. *Patellaria citrella*, crusta grumosa, scutellisque planiusculis laete citrinis.

His in regionibus satis frequens occurrit ad truncos s. cortices Tiliae europeae. *Crusta* late effusa, non cohaeret. *Scutellae* parvulae, demum parum convexae, margine hinc inde dentatae seu particulis crustae obtectae, colore undique citrino. Non confundenda cum Verrucaria *citrina*, aut *fulva* Hoffm.

13. *Patellaria domingensis*, crusta latissima cohaerenti laevi flava, scutellis sparsis tumidis aurantiacis.

Hab. ad arbores ad St. Domingo. *Crusta* quasi membranacea, non pulverulenta, vitellina, in individuis vetustis pallens. *Scu-*

tellae concavae, margine crassiusculo subtusque aurantiacae, disco rufiores sunt.

14. *Patellaria olivacea*, longitudinalis, crusta parca grumosa scutellis planiusculis convexis disco olivaceis, margine crusta concoloribus.

Hab. ad truncos, in monte Cenisio. *Crusta* unc. 1 longa, $\frac{1}{2}$ lata fere, limitata alia Patellariae specie, verrucaria *exigua* Hoffmanni uti videtur, colore sordide fusca, demum nigricat.

15. *Patellaria pulicaris*, crusta subnulla tenuissima albicans, scutellis convexis atrofuscis margine albicante.

Hab. ad ligna abietina in Hercynia. Plantula pusilla, vix dimidiam unciam magna. Una cum antecedente Licheni *vario* Ehrh. affinis, sed scutellarum colore et forma differt.

16. *Patellaria nuda*, crusta nulla, scutellis majusculis concavis nigris. Hanc speciem, ob crustae absentiam peculiarem, variis in Germaniae et Galliae locis saxa arenaria rubicunda praecipue habitantem inveni. Ex observatione cl. Acharii ad Lecideam *privignam* (Meth. lichen. p. 49.) non liquet, quod Lichen *simplex* Daviesii cum hac Patellaria eadem sit species.

17. *Thelotrema mammosum*, crusta subnulla, tuberculis globosis uno pluribusve poris pertusis. *Tab.* 10. f. 8.

Occurrit super muscis destructis in alpibus vallesiacis.

Species pulchra, utplurimum globosa, sed in nonnullis speciminibus praesertim vetustis flexuosa evadit disco dilatato olivaceo, uti in Thelotr. *hymenio* Achar., et punctis nigricantibus s. capsularum absconditarum orificiis distincta, et tunc *Endocarpo* cuidam non absimilis, cum quo hoc genus non male conjungi posset.

18. *Thelotrema radiatum*, crusta rimosa, tuberculis unilocularibus, ostiolis demum radiato-striatis.

Hab. ad lapides silicinos.

Unciam unam latum, inaequale et, pro more hujus generis, lutescens. Ostiola ab initio punctiformia et nigricantia aut pallida, subimmersa nonnunquam ita dilatantur, ut Urceolariae speciem aemulentur. Forte varietas est Lichenis *polygonii* quorumdam?

19. *Endocarpum americanum*, cervinum, fronde margine lobata auriculata inflexa rotundata.

Ex America septentrionali misit hanc speciem Rev. Muhlenberg.

Fronde coriaceo-membranacea e longinquo *Peltigerae* speciem refert; ½ unc. fere magnum, margine liberum. Non videtur mera Endocarpi *hepatici* varietas, nam hujus frons substantia duriore, margine minus effigurato toto appresso gaudet et colore est fusco-rufo, salvis nonnullis varietatibus aut subspeciebus colore pallidioribus distinctis.

20. *Calicium citrinum*, crusta sparsa grumosa flava, scyphulis tenuibus pulverulentis subolivaceis, disco depresso.

Hab. in alpibus vallesiacis.

In cortice et ligno pini crescit. Stipes admodum gracilis, sensim incrassatus, subpulverulentus. A C. *furfuraceo* praesertim differt disco non prominente.

21. *Calicium tigillare*, crusta flavovirescente, scutellis sessilibus nigris.

Provenit in subalpinis. Hujus loci Lecidea *tigillaris*. Achar. Meth. pag. 47. t. 2. f. 1. (mediocris).

22. *Calicium leucomelos*, crusta crassa glebulosa alba, scyphulis sessilibus nigris margine dilute albicante.

Hab. in ligno abietino in Helvetia. Schleicher.

Obs. A C. *dryino* (C. sessile) differt crusta manifesta et scyphulis confertis majoribus, cum hac vero et antecedente, divisionem generis naturalem: † *scyphulis sessilibus* et † † *scyphulis pedunculatis* quo ceterae species pertinent, constituit.

23. *Opegrapha prùinata*, crusta parca albida, lirellis emergentibus parallelis utrinque attenuatis, disco dilatato pruinoso.

Hab. ad ligna Cerasi.

Species bene distincta est, Hysteriis tamen affinis, sed crusta aliqua adest. *Lirellae* satis longae, margine tenui, congestae.

24 *Opegrapha picea*, crusta crassiuscula nigrescente, lirellis simplicibus immersis minutis confertis.

Oculo inermi ut Verrucaria qnaedam apparet; lente illustra-

ta observantur *Lirellae* vario modo sitae, ovatae. *Crusta* nunc late effusa, nunc limitata linea atra, colore est fuliginea.

25. *Opegrapha fuliginosa*, suborbicularis, crusta pulverulenta nigrescente-fuliginea, lirellis simplicibus oblongis subflexuosis.

Hab. ad corticem Quercuum? ubi maculas nigras efficit, nonnullas lineas latas. Ab O. *faginea* differt, quod lirellae minus confertae, confusae aut rugosae, et crusta distincta donatae sunt.

26. *Opegrapha chlorina*, crusta late effusa pulverulenta virescente, lirellis simplicibus oblongis subnitentibus.

Hab. ad cortices exsiccatos.

Lirellae pleraeque sunt oblongae, flexuosae; aliae, praesertim juniores, ovatae, ex quo affinitas cum O. *Lichenoide* elucet, sed, praeter crustam virescentem, earum discus minus apertus est. — Graphis *curvula* Ehrh. non diversa videtur.

27. *Opegrapha cincta*, crusta crassiuscula rugosa subpulverulenta alba cum lirellis simplicibus subflexuosis prominentibus. *Tab.* 10. *f.* 4.

Hab. in St. Domingo.

Lirellae juniores crusta tectae sunt, demum bullatim prominent et crusta undique cinctae, ipsae glabrae sunt, nigrae, oblongae, rectae aut flexuosae, plerumque simplices, sed etiam adsunt aliae triquetrae.

28. *Opegrapha Medusula*, maculaeformis, crusta subnulla, lirellis in circulum aggregatis simplicibus subpulverulentis, radiatis. *Tab.* 10. *f.* 1.

Hab. ad ramos carpineos? ubi maculas sistit orbiculares, lin. 1. latas et ex solis lirellis radiatim divergentibus compositas. Crusta vix ulla adest.

29. *Opegrapha venosa*, crusta pulverulenta alba, lirellis congestis ramosis furcatis prominentibus glabris. *Tab.* 10. *f.* 2.

Hab. ad cortices.

Lirellae ramosissimae sunt et supra crustam valde prominent, qua nota nec non glabritie ab O. *pulverulenta* aliisque affinibus perspicue differunt.

30. *Opegrapha? hieroglyphica*, crusta lata cinerascente, lirellis immersis varie ramosis concoloribus. *Tab.* 10. *f.* 3.

Hab. ad St. Domingo, in arborum corticibus.

Crusta lata, canescente glauca, laevigata. *Lirellae*, quod singulare, natura et colore sunt plane diversae, et potius fissuras repraesentant; etiam versiformes sunt, nunc dendriticae, nunc solum uno latere, cornuum Alces ad instar, ramos exserunt, aliae rimas simplices offerunt etc.

PARMELIA. *Subiculum* (s. Thallus) figuratum, frondosum, orbiculare-depressum, margine laciniato-multifidum. *Scutellae* centrales, prominentes.

† *Fronde substantia tartarea* (Placodium).

31. *Parmelia gilva*, expallens utrinque glabra margine palmata, scutellis majusculis gilvis.

Haec species, quam mecum communicavit cl. *Balbis*, affinitatem habet cum Lichene *lentigero* WEB., sed major et margine profundius inciso et recurvo gaudet. *Scutellae* demum convexae, margine crusta concolores. Color frondis inferioris (saltem meo in specimine) fere idem est, ut in Endocarpo (Lichen. L.) *miniato*, superne fere canescens, forte exsiccatione.

32. *Parmelia aenea*, rupestris, fronde multifida rimosa, apice recurva, superne aeneo-gilva nitida, subtus nigrescente, scutellis congestis rufis.

Hab. ad saxa in monte Cenisio. BALBIS.

Frons crassa, rigida, in frustula, margine nigra, partita. *Scutellae* subflexuosae, demum convexae, margine crusta conformi; in varietate hujus speciei? discum pulveraceo-nigricantem vidi.

†† *Fronde coriaceo-membranacea, margine profundius divisa: laciniis aequalibus subimbricatis.* (Circinnaria *Achar.*, Imbricaria Decand.)

33. *Parmelia dendritica*, fronde profunde pinnatifida: laciniis

ciniis medio sublinearibus convexis margine dilatatis, superne fusca, inferne nigra glabra, scutellis badiis.

Hab. in America boreali. MUHLENBERG.

Frons profundius divisa est quam in Parmelia *speciosa* et tota glabra. Laciniae distantes, apice incrassatae. Scutellae ut in Lichene *centrifugo* L., quocum cognata videtur nostra species.

34. *Parmelia phyllocarpa*, pallide fusca glabra, laciniis imbricatis, medio in foliola laciniata, scutellis badiis flexuosis margine crenulato-dentatis, externe subfoliosis.

Ex America quoque benevole communicata a Rev. MUHLENBERG.

Terrestris videtur species super muscos crescens, quos arcte ambit, et 2 — 3 unc. lata est. In frondis parte inferiore observantur radiculae ramosae fuscae, superne in medio foliolis quasi furfuracea est.

Scutellae majores externe foliolis laciniatis obtectae, unde affinitas hujus speciei cum P. *venusta* ACHAR. omnino adest.

35. *Parmelia albicans*, fronde profunde laciniata: laciniis sinuatis subcanaliculatis, subtus fibrosa utrinque albida, scutellis concoloribus disco rufis.

Hab. ad St. Domingo. POITEAU. Muscis increscens, 3 unc. lata, substantia tenuis, medio hinc inde farinosa. *Scutellae* pro ratione, parvae et parcae modo adsunt, in fronde dispersae, margine plicatae, forte per exsiccationem, concavae: disco rubicundo.

††† *Fronde coriacea, margine minus incisa, laciniis latis rotundatis,* (Platisma).

36. *Parmelia plicata*, latissima glauco-cana plicata subfarinacea, scutellis sparsis parvulis dilute badiis.

Hab. ad St. Domingo, in arboribus.

Spithamam lata, inferne fusca et nigricans glabra, margine minus incisa: lobis latis rotundatis. Superne praeter materiem farinaceam, etiam in nonnullis individuis, punctis nigris exasperata.

Obs. Puncta illa nigra, quae saepissime quoque in Lichene

ciliari L. (unde varietas illa P. *melanosticta* apud ACHARIUM) occurrunt, nihil aliud videntur, quam *Sphaeria* quaedam *parasitica;* et o polymorpha natura! talem Sphaeriam parasiticam etiam in *ipsis scutellis* Lichenis *rubelli* EHRH. et L. *pallentis* aut subfusci L. observavi.

PHYSCIA. Frons cartilaginea erecta sublinearis: *Scutellae* laterales.

† *Fronde coriaceo - cartilaginea, utplurimum lacunosa et pallescente, scutellis subpedunculatis.* (Polymeria ACHAR.)

37. *Physcia straminea*, lutescens nitida laevis, scutellis majusculis carneo - lividis.

Hab. ad St. Domingo, ad truncos.

Species satis magna est, ramis seu laciniis copiosis instructa, apice sub scutellis calcaratis; unde affinitas cum Lichene *calcarato* L. aut Physcia *fastigiata*, sed ab his et plerisque aliis speciebus differt, superficie laevi, nec reticulato - lacunosa.

38. *Physcia attenuata*, pallens, laciniis attenuatis tenuibus teretiusculis, scutellis planiusculis sessilibus. *Tab.* 10. *f.* 7.

Ex eadem regione cum priore, hanc Physciam habeo, quae Usneam *hirtam* non male refert. *Lorula* sensim attenuata, scutellis vix marginatis angustiora sunt.

†† *Fronde tartarea, colore plerumque grisea s. cinerascente; scutellis sessilibus (nigris).* (Roccella).

39. *Physcia dichotoma*, loris elongatis dichotomo - furcatis cinereo - fuscis.

Hab. . . . Ex radice plura assurgunt *Lorula* teretiuscula, vix dimidiam lineam lata, 2 — 3 uncias et ultra longa, ad genicula tuberculis farinaceis s. sorediis gaudentia.

Obs. Cl. DECANDOLLE ex hisce Lichenibus genus peculiare *Roccella*, et forte nec immerito constituit, cum a Physciis substantia tartarea solida, intus tamen medulla molli farcta, et scutellis sessilibus distinguuntur.

40. *Usnea gracilis*, virescens, lorulis filiformibus, orbiculis sparsis setosis parvulis, *Tab.* 10. *f.* 6.

Hab. in America? *Lorula* horizontalia, flexuosa, patentia. Affinis Usneae barbatae.

Stereocaulon. *Crusta* farinacea in caule solido aggregata. *Scutellae* marginatae concavae.

41. *Stereocaulon vesuvianum*, ramis fastigiatis obtusis crusta glebulosa obsitis. *Tab.* 10. *f.* 5.

Hab. in monte Vesuvio in Italia. A St. *paschali* quam maxime differt. Dimidio enim minus est. Rami dilatati, rufescente-cinerei, crusta glebulosa rimosa, nec furfuracea cincti. Fructificationem scutellaeformem obsoletam, in meis speciminibus, solummodo observare licuit.

Umbilicaria. *Frons* coriacea, peltata, uniformis. *Scutellae* simplices, superficiales.

42. *Umbilicaria laevis*, utrinque glabra, superne cinereo-glauca, inferne alba, scutellis copiosis.

Hab. in America boreali.

Umbilicaria *fuliginosa* (Lichene pustulato L.) multo minor et tenerior est, nec pustulae in floccos fuligineos excrescunt; ab Umbilicaria *pensylvanica* Hoffm. praecipue differt, praeter colorem, superficie inferiore laevi nec granulosa. — Frons in tribus hisce speciebus superne pustulato-bullata, inferne lacunosa; et scutellae simplices, nec ex lirellis compositae uti in *Gyrophoris* Acharii, quibus interea ob habitum et locum natalem proximae sunt.

Explicatio figurarum.

Tab. 10. Fig. 1. Opegrapha *Medusula* et *a.* eadem lente aucta.

Fig. 2. Opegrapha *venosa*, *b.* lente aucta.

Fig. 3. Opegrapha *hieroglyphica*, magnitudine lente aucta.

Fig. 4. Opegrapha *cincta* et ad *c.* amplificata.

Fig. 5. Stereocaulon *vesuvianum*, et ejusdem ad lit. *d.* parum aucta.

Fig. 6. Usnea *gracilis*, ad *e.* lorula seorsim sub lente delineata.

Fig. 7. Physcia *attenuata*, *f.* lente aucta.

Fig. 8. Thelotrema *mammosum*, *a.* diversam hujus speciei aetatem et formam sub lente sistit, *b.* et *c.* juniorem plantulam integram et perpendiculariter secatam, *d.* ostendit eamdem valde adultam et magis amplificatam.

Fig. 9. Schizoxylon *sepincola*, et pars hujus speciei *a.* ad lentem amplificata.